



1752-14 5-26
DISSERTATIO IURIDICA INAUGURALIS

DE
STATV HOMINVM

QVAM
SVB PRAESIDIO ALTISSIMI
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO
VIRO PRAENOBILI AC CONSVLTISSIMO
DN. HIERONYMO FRIDERICO
SCHORCH JCTO

S. PALATHI CAESAREI COMITE, IURIDICAE FACVLTATIS ASSESSORE ET PRO
TEMPORE DECANO AC IUR. PVBL PROFESSORE ORDINARIO, NEC
NON CIVITATIS EREORDIENSIS CONSULE SE-
NIORE MERITISSIMO,

EX DECRETO

MAGNIFICI AC AMPLISSIMI JCTORVM ORDINIS
IN PERANTIQVA VNIVERSITATE HIERANA
PRO OBTINENDIS SVMMIS IN VTROQVE IURE HONO-
RIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
IN AVDITORIO JCTORVM MAIORI
DIE XII. OCTOBRIS MDCCLII.

HORIS CONSUVETIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVDMITTIT
AVTHOR ET RESPONDENS

WILHELM. ANTON. WREDE

PADERBORNENSIS.

ERFORDIAE

Typis IOANNIS CHRISTOPHORI HERINGII

ACAD. TYPOGR.

STATV HONMIVAM

INSTITVTIONVM

DE

REPUBLICA

AVGVSTANA

AVGVSTANA

AVGVSTANA

AVGVSTANA

AVGVSTANA





L. B. S.

PROLOQVVM.

Rarum est jus nosse, si personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur ita IMPERATOR IVSTINIANVS in *fin. Inst. de jur. nat. & gent.* igitur inter amplissimas & Vastissimas doctrinarum Juridicarum materias mihi de Dissertatione inaugurali meditabundo præ cæteris quotidie obvenientibus placuit materia de *Statu hominum*, ad quam ex omni jure proponendam eo majori invitatus sum studio & æmulatione, quo magis solidæ eruditioni pro fundamento ratione futuri officii mei scitu necessaria, ac in usû quotidiano commen-

A 2

dabi-

dabilis; Et licet hæc alicui nimis obuia atque
jejuna videri posset, quod tamen suas habeat
difficultatum perplexitates, & Conclusionum
Varietates nemo Eruditorum inficiabitur;
hanc, si non debito, quem quisque forsan de-
siderabit, ordine ac modo pertractem, velim
perpendat, quod etiam Laus sit, aptare quid
velle, quod quis minus potest, non enim me
pudet cum Imperatore *in L. 2. de vet. jur.*
Enucl. fateri, omnium memoriam & scienti-
am habere, & in nullo peccare, Divinitatis po-
tius, quàm humanitatis esse; probè enim scio,
quod sit difficile ad omnium placitum vivere,
sive ad omnium Salivam loqui aut scribere;
Si desint vires, tamen est Laudanda voluntas.
benevolum Lectorem itaque rogatum volo,
quatenus Conatum, quem Ego ampliosem &
magis Exactum optassem, ea ex ratione, quod
in illo primitiæ Studii Juridici contineantur,
quæ suo tempore pleniore prodibunt, beni-
gne suscipiat, mihi que faveat.

DIS-

DISSERTATIO IURIDICA IN AVGVRALIS
 STATV HOMINVM.

CAPVT PRIMVM

DE STATV HOMINVM INSPECTO
 IVRE NATVRALI.

Status hominem, quatenus naturalis est, aut sexum, aut generationem, aut ætatem, aut animum, & Corpus hominum spectat, & sic homines dispefcuntur juxta sexum in Mares & fœminas quorum primi si de dignitate agatur melioris sunt conditionis *L. 1. ff. de Senator.* quamvis Imperator Justinianus harum jura & privilegia auxerit, uti patet *ex L. assiduis 12. C. qui potior in pig. L. 20. C. de donat. ant. nupt. L. 30. ff. de jur. dot. L. an. C. de rei ux. act.* quos de utroque sexu participantibus & Hermaphroditis disti intermediant, ex quorum sexus prævalentia dependet, an ad testimonium in testamento solenni dicendum, ad successionem in feudis sint habiles, nec non. Quoad generationem homines sunt aut parentes aut liberi & hi aut nati aut nascituri, qui ultimi si de illorum favore agitur, pro jam natis habentur, modo tamen vivi & non monstrosi nascantur, aliis verò non profunt. Quoad animum dicuntur homines aut virtuosif aut vitiosif, ut autem sub hac qualitate ad objectum juris referri queant, debent virtutes & vitia ad actus exteriores prodire, cum aliàs tanquam actus interni ad jus non pertineant *arg. L. cogitationis 18. ff. de pæn.*

A 3

Quoad

Quoad ætatem sunt vel infantes vel infantia majores, hi vel puberes vel impuberes, illi autem sive minorennes, sive Majorennes, quæ ætatis varietas in casibus obvenientibus bene perponderanda, cum diversa jura illis applicari faciat, sic infans cum nec velle nec nolle habeat. *L. 189. ff. de Reg. jur.* nec cum tutoris auctoritate se obligare potest, is verò, qui infantiam egressus, cum tutoris intervenientis approbatione vincularur, quamvis absque eo ne quidem naturalem exacto contrahat obligationem. Impuberes & quidem pubertati proximi ob delicta extraordinarie, & rarissime ultimo supplicio afficiuntur, nisi malitia suppleat ætatem. *Art. 64. Const. crim. Carol. V.* *CARPZ. prax. crim. quest. 143.* Secus est in puberibus qui XIV. annos transcenderunt, hi ob delicta poena ordinaria afficiuntur, quamvis etiam sæpius genus mortis illis mitigetur. Minores si in negotiis validè initis ætatis facilitate sint læsi, a momento Majorennitatis adeptæ adhuc per quadriennium continuum beneficio restitutionis in integrum gaudent, quod Majorenribus denegatur. Ratio verò eos in mentis compotes vel impotes dividit hujusmodi sunt, *vel quoad actum tantum*, ut infantes, Ebrii, dormientes &c. *vel quoad potentiam simul*, ut mente capti, fatui, furiosi, quibus comparantur etiam prodigi.

CAPVT SECVNDVM.
DE STATV HOMINVM, INSPECTO IVRE
CIVILI PRIVATO.

Thesis I.

Status hominum, quatenus civilis, est triplex, nempe *Libertatis*, unde alii sunt Liberi, alii sunt servi.

§. 1. *Instit. de jure pers.*

Servi ex eo appellati, quòd, cum occidi poterint, servati sint; §. 3. *loc. cit.* unde patet, quod servitus inducatur vel nativitate vel captivitate in bello scilicet iusto. §. 17. *Instit. de rev. drois.* aut etiam si quis liber homo major 20. Annis ad pretium participandum sese venundari passus sit. Hodiè Christianus orbis sustulit durum servitutis jugum, adeoque si Christiani principes bello colliduntur, capti non amplius efficiuntur servi capientium, sed vel permutantur, vel soluto lytro liberantur: *STAMM. de Servit. pers. lib. 1. tit. 1. c. 3. n. 4.*

Sed si Turcæ, Saraceni, alique infideles cum Christianis bella gerant, Quæstio est, an tum capti fiant servi capientium, quod affirmo ex Recessu imperii *de anno 1542. & 1577.* & hinc Christiani captos infideles reciprocè pro servis detinent. *SCHNEIDEW. ad Instit. de serv. pers. lib. 1. tit. 1. c. 2.* E contra, an Christiani ab infidelibus capti apud nos in Germania servorum conditioni sint adscribendi ita ut reversi gaudeant jure postliminii, & testamenta eorum in Turcia condita non valeant? id ipsum nego, ne afflictis addatur afflictio. *STRYCK in V. M. ff. de stat. hom. §. 4.*

An

An liceat captos in bello sicut olim, aut sponte deditos impune occidere? de rigore juris illud sustinet GROTIVS *de jure bell. & pac. lib. 3. c. 4. §. 10.*

Ego vero Religioni conformius esse judico, captis aut sponte deditis parcere, quorum virtuti belli fortuna pepercit.

Effectus servitutis fuit, quòd servus quicquid acquisiverit ad suum Dominum pertinuerit, ita ut nequidem per momentum aliquid proprium habere poterit? *l. 10. §. 1. ff. de acq. rer. dom.*

Cum verò ejusmodi servitus per *nov. 28. c. 2.* sublata sit, superest, quod in variis Germaniæ Locis præfertim in Westphalia reperiantur homines, quos vocant proprios *eigenbehriige Leuthe*, quibus olim devictis terræ colendæ sunt relictæ, ne provincia insolitudinem redacta ipsis victoribus esset infructuosa, hi quidem aliquam cum antiquis servis videntur habere affinitatem, eo quod sub certis oneribus & servitiis præstandis pro more & consuetudine seu pacto receptis, glebæ seu alicujus prædii agricolationi sint adscripti *STAMM. de servit. pers. lib. 3. c. 1. n. 14.*

De his quæritur an sint servi, an vero liberi homines? liberos esse affirmo, libertate tamen restrictâ, ne hæc se extendat in præjudicium glebæ seu prædii, & inde dependentium onerum & servitorum. Libertas eorum inde probatur, eo quod habeant jus Contractuum. *STRYKII. V. M. ff. de stat. hom. §. 7.* & personam standi in judicio *id. ibid. §. 8.* & item quòd habeant liberos in suâ potestate. *POMMERESCH ad §. 1. Instit. de his, qui sunt sui vel alieni Juris, & quod per operas*

operas suas sibi acquirant, dummodo nihil decedat
servitiis & operibus præstandis. *Mev. p. 7. decis. 89. n. 6.*

Sed de his omnibus locorum observantias esse
attendendas monet dict. STAMM. *Cap. 17. n. 6.* & has
circa propriorum conditiones variare aſſerit.

An quis per pactum seu contractum se hominem
proprium efficere possit. Affirmo *ex GAIL. de ana.
imp. c. 6. n. 23. & c. 7. n. 5. ex HVSANO c. 5. n. 34.* ex
quo colligitur, quod quis alteri jus subjectionis in se
constituere possit, in specie, quod aliquis pauper, ali-
unde quo vivat, non habens, se ad operas perpetuo
proprium facere queat *per c. 8. X. de Donat. & c. 2. de
suppl. negl. præl. in 6. item Capit. Constitutus X. de Reli-
gios. aliud quippe est servum fieri, aliud operas servi-
les præstare.*

Effectus proprietariatus est, quod homo propri-
us respectu sui Domini habeatur, ut persona liber-
ti respectu sui patroni. *STAMM. lib. 3. c. 18. n. 2.*

Ideo non potest contra dominum intentare actio-
nem injuriarum, doli mali &c. *dict. HVSAN. loc. cit. c.
6. n. 13.* nec potest eum criminaliter deferre excepto
Crim. Læf Maj. ob cujus Enormitatem etiam filius
contra patrem admittitur; non potest homo propri-
us esse Notarius *per Const. MAXIMIL. I. de Not. art. 1.*
non potest agere testem in testamentis, præsertim ho-
minum non propriorum *Dict. Const. art. 2.* neque ju-
dicem. *GAIL. de ana. imp. c. 8. n. 19* qui enim indignus
in ordine inferiore, etiam indignus in ordine superio-
re *l. 4. ff. de Senat.* item non potest invito domino
mutare domicilium, neque illud aliò transferre, nisi

B

impe-

impetratâ veniâ & dimissione à Glebâ, cui adscriptus
*arg. l. 2. § 14. C. de agricol. & Censit. GAIL. dict. c. 8.
 n. 13.* quia tales & eorum liberi in perpetuum fundo
 adhærere coguntur atque ideo inter immobilia nume-
 rantur. MINDAN. *de Mandat. l. 2. c. 67. n. 8.* HYSAN.
de propr. hom. c. 2. q. 5. n. 10. ac manentes hâbner
 vocantur. Si morte decedant mortuarium præstant
 pro more locorum vel dimidiam omnium mobilium
 & moventium, aut tertiam partem. Deficientibus li-
 beris & propinquis dominus succedit proprio ex ca-
 pite unde *Fiscus. STAMM. dict. lib. c. 22. n. 3. 4. &c.*

Dominus potest refractarium hominem proprium
 castigare, sicut patronus libertum *arg. l. 11. §. 7. ff. de
 injur. sicut pater filium L. un. C. de Emendat. liber. sicut
 maritus uxorem Nov. 117. c. 14. sicut Abbas monachum.
 C. 24. X. de sent. Excomm. sicut Magister discipulum l.
 13. §. 4. ff. locari, potest ipsum vindicare, si ab alio de-
 tineatur. arg. l. pen. C. de agris. & censit. actione præ-
 judiciali utili contra denegantem eos comparata MAEV.
ad Jus. lub. lib. 1. 2. 3. art. 3. HENR. HAHN *ad Wesenb.
 ff. de stat. hom. n. 5.* vel concessa conditione ex *L. si
 coloni C. de agris. & cens. MENOCH. recuper. possess. re-
 med. 10. n. 31.**

Thesis II.

Status Civitatis est; unde alii sunt cives, alii peregrini,
 & licet horum effectus fuerit, quod apud anti-
 quos Romanos testari non potuerint, *arg. l. 1. ff. ad
 leg. falcid. tamen de sequiore jure per aurb. omnes pere-
 grini C. de success. per totam Christianitatem & consue-
 tudine*

tudine per Germaniam approbata licentiam testandi habent. *STRYCK. de Cant. test. c. 3. §. 47.* Excipitur tamen Gallia: ubi jure *Albinagii*, ut vocatur, Rex peregrinorum bona ab intestato occupat *MANTZ. in tract. de test. valid. & invalid. tit. 2. §. 194.* quam tamen regulam § *seq.* quinque casibus limitat. 1) Siquis à Rege jus indigenatus impetraverit. 2) Siquis privilegium Exemptionis obtinuerit, quale habere Scotos, Helvetos, Hollandos, Arthesios & Brabandos, testatur. *MÜLLER. ad struv. exercit. §. 2. th. 7. Lit L.* 3) Siquis alicui facultati Academicæ immatriculatus sit studiosus. 4) Siquis in Galliâ natus & 5) siquis litteras naturalizationis obtinuerit à Rege, sed quæres.

An testamentum à Gallo in Germania conditum jure retorsionis sit rejiciendum? ad quod respondeo cum *Laud. MÜLLERO* affirmativè *arg. tot. tit. quod quisque juris in alium statuerit, ut ipse eod. utatur.*

Jus Civitatis definitio, quod sit tale jus, quo quis sit civis & accipit facultatem utendi, fruendi commodis privilegiis & libertatibus alicujus civitatis. *NAV. RATH. in hypoth. subdit. n. 8.* Illud jus conceditur non tantum à dominis territorialibus, sed etiam ab ipsis Magistratibus Civitatum citra jussum domini Territorialis *dict. NAVRATH. loc. cit. n. 5.* dum quis præviâ qualificatione scilicet per productionem attestati super legitima Nativitate & per præstationem juramenti fidelitatis & obsequii recipitur in civem. *STRUV. in synag. jur. civ. exercitat. ult. th. 51.*

Thesis III.

DE JVDÆIS.

Quæritur, an in incolas Civitatis recipi possint. Circa quam quæstionem politicam præmitto, quod quidem vigore *Aureæ Bullæ Cap. 9.* non nisi ab Electoribus recipi posse ab aliquibus sustineatur. Ego vero hanc facultatem omnibus imperii statibus superioritate territoriali gaudentibus competere, affirmo, *per Reformat. polit. de anno 1548. tit. Bon. Judent 20. & de anno 1577. tit. eod. VITRIARIUS in inst. jur. publ. lib. 3. tit. 12. n. 82. KNIPSCHILD de civit. imperii l. 2. c. 30.* Sed an salvâ conscientiâ recipi possint nec ne? est quæstio in utramque partem disputabilis.

Pro negativa se fundant *in c. 16. & c. 23. de judæis, de testibus*, eo quod sint blasphematores Christi & inimici Crucis, item fundant se *in L. 3. & 4. de heret.* quod sint quovis hæretico perversiores & quod Christianos nimis usuris & fcenoribus emungant, perfidissimi que Christiani nominis hostes existant. *HARPRECHT ad Inst. tit. de his qui sui vel alien. jur. §. 2. n. 72.*

Pro affirmativa se fundant alii *in L. 6. C. de paganis*, ubi mandatur, ne judæis violentæ manus inferantur, item *in l. 14. C. de judæis*, ubi habetur, nequis eorum obteratur aut contumelia afficiatur, eoquod teste divo Augustino sint utiles fidei Christianæ, & quod per eorum codices possint convinci infideles.

Ego ob rationes extrinsecas adhæreo affirmantibus, quod salvâ conscientiâ admittantur & tolerantur, ut maneat typus veteris testamenti.

Cives

Cives differunt ab incolis & peregrinis, quod illi omnium suffragiorum & honorum sint participes & munera civilia subire possint *dist. STRVV. exercitat. ult. ibes. 48.*

Incolæ verò & peregrini nec jus suffragii, nec honoris habent *arg. l. 29. ff. de municip.*

Jus civitatis amittitur resignatione & translatione domicilii, licet plerumque aliquid pro more solvi debeat nempe *Abzug-Geld* SCHÜTZ. *in colleg. Laur. tit. ad municip.*

An Princeps Territorii possit aliquid ab Emigrantium bonis detrachere, affirmat GAILLYS *Obj. 36. n. 10.* eo quod Principi competere videatur dominium eminens & altum in bona subditorum & quia Emigrans usque eo gavissus est protectione sui Principis, & sic æquum est, aliquid in compensationem talis beneficii relinquere, imo juxta multorum locorum consuetudines jus detractus non tantum principi territoriali, sed etiam inferioribus Magistratibus competit, ita tamen ut, si duo unius pagi possessores seu domini essent quorum unus superiore alter inferiori Jurisdictione investitus, gabella primo debeat *STRYCK. us. mod. ff. ad Municipal. §. 12.* cum non superioritatis territorialis, sed Jurisdictionis fructus esse censeatur. *BERGER. accon. jur. lib. 1. tit. 2. §. 18. not. 5.*

An jus civitatis amittitur Banno? affirmat idem GAILLYS *de pacè publ. lib. 2. c. 1. n. 25.* eo quod Bannitus amittat omnia commoda & privilegia, imo omnem protectionem & clientelam, ita ut nulla urbe, domo hospicio, aut mensa recipi possit, cui tellus

pontusque negatur. STRYCK. in V. M. de Capite minu-
tis §. 9.

An etiam fustigati cum perpetua relegatione? si-
militer affirmo, eoquod relegati comparentur depor-
tatis, qui jus civitatis amittebant, hinc nec eorum te-
stamenta ibidem valent, nec legata, præter alimenta,
iisdem relinqui possunt, nec particularibus ejusdem
provinciæ juribus utuntur. STRYCK. cit. loc. §. 10.

Thesis IV.

Status familie est, unde alii patres familias, alii filii
familias. Paterfam, est homo liber sui juris, filius
autem familias est homo liber patriæ potestati subje-
ctus l. 4. ff. de his qui sui &c.

Potestas patria de jure Quiritum est jus patri com-
petens in liberos in familia existentes, quoad personas
& eorum res ad communem familiæ utilitatem re-
gendas. STRYV. exercit. 3. th. 39. licet olim tempore
Romanorum pater jus vitæ & necis in liberos causa
cognita habuerit. L. ult. C. de patr. potest. Hoc tamen
abolutum est per unic. C. de his, qui par. vel lib. occid.
relicta sola animadvertendi facultate. Et inde præter
alios effectus fuit 1) quod pater, dum filium immo-
riferum ob correctionem includit aut detinet in con-
clavi, poenam privati carceris non incurrat MEV. ad jus
Lubec. lib. 1. tit. 3. n. 11. 2) Quod pater possit bona ad-
ventitia filii ex justa causa, nempe alimentorum aut
æris alieni alienare sine Decreto judicis L. 8. §. 4. C.
de bon. quæ liberis MÜLLER. ad Struv. dict. exercit. 3. th.
39. Lit. A.

An

An etiam matri competat jus in personas & res liberorum, si hæc marito mortuo se tanquam Caput familiae gerat, liberis se materno imperio subjicientibus, pro ut non infrequens, annon & mater tunc potestatem patriam habeat quoad juris effectus?

Quæ questio licet de jure Romano non decisa, quia potestas patria est munus juris civilis, à quo femina excluditur *L. 2. ff. de R. J.* Meo tamen iudicio affirmanda est exemplo arrogationis.

De filiis familias ita jus esse dico, quod de jure civili nequeant validè contrahere nuptias sine consensu parentis. *L. 18. ff. de rit. nupr.* bene tamen de jure Canonico & Concil. *Trid. sess. 24. de reform. matr.* in negotiis publicis habentur pro patribus familias. *L. 9. ff. de his, qui sunt sui vel alieni jur.* in bonis Castrensibus vel quasi Castrensibus habentur pro patribus familias *L. 2. ff. ad SCrum Maced.* de iisdem, non de peculio adventitio extraordinario testari valent. *pr. Inst. quibus non est permiff. fac. testam.* Obligantur ex omnibus fere Causis, æque ac patres familias, indeque conveniri possunt, *l. 39. ff. de obl. & act.* excepto Contractu mutui, ex quo efficax actio contra illos non datur *tot. tit. ff. & C. ad SCrum Maced.* filii familias debent actiones suas ad parentum rationes attemperare. *PVFEND. in jurisprud. Element. lib. 6. c. 2. g. 4.* Arrogatio & adoptio in Germania non ita frequentantur sicut Unio prolium; quæ licet nec patriam potestatem, nec jus, quo parentes filiis unitis aut liberi sibi invicem succedant, operetur, *RICK. de Unio: prol. cap. 7. n. 4.* attamen, ut Liberi uniti fictis parentibus succedant, efficit *STRYCK.*

in *V. M. de adop.* §. 13. ad Quætionem, an Princeps imperii si non vi patriæ iustitias, saltem vi superioritatis territorialis in liberos potestatem & jurisdictionem tam civilem, quàm criminalem habeat, equidem non infimi nominis Publicitæ negative respondent, eoquod liberi Principes in pari dignitatis gradu cum patre sint constituti, & non Patri, sed primo acquirenti in principatu succedant. *arg. 2. feud. 39. MÜLLER ab Ehrenbach in Gamol. person. illustr. c. 20. n. 1. seq. atque etiam juxta l. 13. §. 4. ff. ad SCtum Trebell.* Prætor in prætorem, Consul in consulem sibi imperium quoddam arrogare nequeat, sic nec Princeps in liberos sibi attribuere possit, sed in casu obviente aut Cæsaris aut Imperii tribunal adeundum. Veruntamen his non obstantibus affirmativam tenentium sententiæ subscribo, quoniam ipsi principes liberi patri suo adhuc viventi non ratione potestatis & superioritatis territorialis, sed tantummodo in eo pares esse censentur, quia ex serenissimo sanguine sunt nati, & quamdiu pater tanquam anterior & legitimus Territorii sui possessor superstes est, liberi non parem possessionem nec paria jura, sed tantum certam spem succedendi in principatum habent, patri verò vi actualis superioritatis territorialis in omnes in territorio suo viventes Jurisdictio competit, cum ibidem domicilium habere censeantur, *VITRIAR. Inst. Jur. publ. lib. 3. tit. XVII. n. 9. seqq. STRYCK. us. mod. ff. tit. de jud. §. 22. COCCEII Jus civ. controuv. ead. quest. 20.* Quoad reliquos effectus patriæ potestatis, an adhuc sint in usu, an verò in desuetudinem abierint me remitto ad *HOPPIUM*

in usu hodierno §. 2. Instit. de patria potest. Hodie cessat potestas patria emancipatione tacita, quando liberi consentiente vel permittente patre separatam institunt oeconomiam, vel matrimonio legitime contracto suas sibi res seorsim gerunt. HARPRECHT *ad §. 7. Instit. de patr. potest. n. 7.* vel quando filius dignitatem civilem, aut Ecclesiasticam adeptus est, *per Novell. 87. cap. 1. §. cap. 3.*

CAPVT TERTIVM

DE STATV HOMINVM, INSPECTO JVRE PV-
BLICO ROMANO GERMANICO.

Thesis I.

Juxta dictum jus publicum, personæ aliæ sunt Imperantes, sicut Imperator, Rex Romanorum, Vicarii imperii &c. Aliæ parentes, uti sunt status imperii & non status, qui vel immediati vel mediati.

Thesis II.

Imperator est summus Princeps ab Electoribus legitime electus, ut Reipublicæ Romano-Germanicæ tanquam Caput præsit. SCHWEDER, *in introd. in jus publ. part. Special. Sess. I. C. I. n. 20.*

Qui debet esse Mas ex Illustri familia natus & Laicus, Religionis Christianæ, Germanus, certam ætatem non requirrens, *per. Ordin. Bullæ Auræ Cap. I. §. 19.* & Francofurti ad Mœnum eligendus & per eandem Bullam Acquisgrani coronandus *dict. Aur. Bull. C. 28. §. 5.* nisi obitet legitimum impedimentum aut aliud ex

C

com-

communi Electorum Consensu locus præfigatur, datis
reversalibus. SCHWEDER. d. l.

Coronationem, id est, Consecrationem & Benedi-
ctionem extra diæcesin alternant Elector Coloniensis &
Moguntinus. Cessat quis esse Imperator aut morte
aut resignatione. VITR. ad libr. I. tit. 9. n. 1. an etiam de-
poni possit, non minus periculi, quam difficultatis ple-
na Controversia est, sentio cum SCHWEDERO *diß. part.*
special. Sect. I. Cap. 31. §. 5.

Thesis III.

Rex Romanorum est Princeps imperii, qui vivo
Imperatore ab Electoribus eligitur, ut sit perpetuus Im-
perii Vicarius, ac Imperatore cessante citra ulteriorem
Electionem Imperator evadat VITR. d. lib. I. tit. 10. n. 1.

An salvo jure vivente adhuc Imperatore Rex Ro-
manorum eligi possit, affirmo cum ARVMNEO ad *A.*
B. disc. 2. thes. 13. & per varias Capitulationes FERD. II.
art. 34. & FERD. III. *art. 28.* LEOPOLD. *art. 36.* & JO-
SEPHI *art. 35.*

An Rex Romanorum habeat Majestatem? affir-
mo cum SCHWEDERO *diß. part. spec. Sect. I. c. 3. n. 8.*
per R. Imp. de 1542. & 1555. & per Capit. Ferd. III. art.
47. hanc tamen Majestatem actu exercere non potest,
nisi certo modo & tempore. Et sic intelligenda Ca-
pitulatio JOSEPHI *art. 47.* atque ideo differt Rex Ro-
manorum ab Imperatore, eoquod Imperator dicatur
semper Augustus ille vero tantum *Augustus*. Item quia
Imperator in insignibus suis habet aquilam bicipitem,
Rex Romanorum verò tantum simplicem SCHWE-

DER.

DER. part. special. Sect. I. cap. 3. n. 8. HORN. *Jurispubl.*
prud. C. 21. §. 7.

Thesis IV.

Vicarii imperii sunt principes Imperii lege publica constituti, ut vacante Imperio illud secundum datam ipsis potestatem administrarent, illudque finita Electione intra Electi Regis Romanorum manus resignent. Ex legali dispositione *A. B. Cap. 5.* Vicarii Imperii sunt Electores, Palatinus & Saxo, licet Palatino in dubium vocetur ab Electore Bavaro, quod, an decisum sit, relinquo.

Habent Vicarii in suis districtibus, & conjunctim in juribus Imperii exercendis eandem potestatem ac Imperator; Cum Imperatorem representent, nisi quid specialiter exceptum, excepta autem est investitura feudorum in regalium, *per A. B. Cap. 5. COCCEJVS in Jur. publ. prud. Cap. 16. §. 13.*

Thesis V.

Personae parentes, quae vel status Imperii, vel non sunt, dividuntur in tres classes, prima est Electorum secunda Principum, tertia civitatum imperialium.

Status imperii sunt ii, qui habent votum & sessionem in comitiis imperii.

Electores sunt, qui habent potestatem eligendi caput imperii & sunt Archi Principes imperii, imperiali lege constituti, ut viduato imperio Imperatorem rite eligant, atque praeficiant *A. B. c. 1. 2. §. 4.* qui vel Ecclesiastici vel saeculares juxta *A. B.* in praesens, ab initio fuerunt septem, scilicet tres Ecclesiastici, Archi-Episcopus

pus Moguntinus, Coloniensis & Trevirensis & quatuor
 sæculares, nempe Rex Bohemiæ, Comes Palatinus
 Rheni, Dux Saxoniae, & Marchio Brandenburgensis,
 qui numerus septenarius duravit usque ad Annum
 1648. quo Imperator cum imperio Osnaburgi & Mo-
 nasterii in octavum Electoratum Ducis Bavariæ con-
 sensit, cui postea in anno 1692. accessit nonus nempe
 Dux Hannoveranus.

Thesis VI.

Modus, quo pervenitur ad dignitatem Electora-
 lem per se notus, scilicet quoad Ecclesiasticos, quod re-
 gulariter per Electionem Capitularium ad eam eve-
 hantur aut per viam postulationis, legitime Electi aut
 postulati pleno jure Electorum, etiam ante summi
 Pontificis confirmationem ac pallium sive ante conse-
 crationem, fruuntur, quia ipsis non ut Archi-Episco-
 pis, sed ut imperii Principibus vigore feudorum rega-
 lium, quæ ab imperio dependent, facultas eligendi
 Imperatorem, aliaque jura Electoralia competunt *A.
 B. cap. 7. §. 2.*

Sæculares verò Electores constituuntur successio-
 ne, ita ut semper primo genitus, ejusdemque descen-
 dentes ad Electoratum vocentur, Lineâ hac extinctâ
 ad secundo genitum ejusque lineam Jus succedendi
 devolvatur. *A. B. c. 7. §. 2.*

An primogenitus possit juri successionis in Ele-
 ctoratu renunciare & relinquere illum secundo geni-
 to? affirmo cum RHETIO in *instit. jurispubl. lib. 1. tit. 7.
 §. 7.*

An

An Elector Ecclesiasticus nec dum investitus in collegio Electorali admittendus? affirmo cum eadem RHETIO citat. loc. §. 2. quia Electio capituli Ecclesiasticis tantum tribuit, quantum sæcularibus successio, item quia mortuo Archi-Episcopo, capitulares exercent jura Electoralia & vocantur ad comitia, pro ut patet ex subscriptione Recessus imperii de 1555. & 1576.

Devolvitur autem Electoratus ad Imperatorem & ad Imperium, si successio masculina planè extingatur, ita ut Imperator cum Consilio Electorum eundem rursus alicui idoneo conferre possit. A. B. c. 7. §. 5. excepto regno Bohemiæ, Electoratu Bavariæ & Electoratu Hannoverano. SCHWEDER. part. spec. sect. 2. cap. 3. in fin.

Thesis VII.

Principum classem intelligo per omnes status imperii, exceptis Electoribus & civitatibus imperialibus.

Principes similiter sunt vel Ecclesiastici, ut Archi-Episcopus Salisburgensis & Vefuntinus, Magister ordinis Teutonici & dein Episcopi, qui sunt Bambergensis, Herbipolensis, Wormatiensis, Spirensis, Eychtedensis, Constantiensis, Augustanus, Hildesheimensis, Paderbornensis, Frisingensis, Ratisbonensis, Passaviensis, Tridentinus, Brixniensis, Basileensis, Leodicensis, Osnabrugensis, Monasteriensis, Churcensis & Lubecensis. Uterius Prælati, Præpositi & Abbates principali dignitate fulgentes, cujusmodi sunt Magister ordinis Joannitici, præpositus Elwagensis & Berchtolsgadensis, Abbas Fuldensis, Campidunensis, Murbacensis, Luderfensis, Weifenburgensis, Prumiensis, Stabulensis

& Corbeyensis, quos ab Imperatoribus Ottone I. Carolo Magno & à sequentibus sæcularem potestatem successive consecutos esse testatur KRANZIVS apud Mylerum ab Ehbrenbach in *Orchologia ordinum imp. cap. 12. §. 5.*

Vel sunt sæculares, ut Archi Dux Austriæ, Duces Saxonix, Bavarix, Brunsvicensis, Luneburgenses, Wurttembergenses, Mecklenburgenses, Holsati. Ducis dignitas Eminentior est ac dignitas principis RHET. in *instit. jur. publ. lib. 1. tit. 17. §. 1.*

Principes, qui de principatu ab Imperatoribus solemniter investuntur, quales ex antiquis Anhaltinus, ex recentioribus, quos Ferdinandus secundus & Ferdinandus tertius crearunt. Hohenzollerenensis Waldecensis, Ottingensis Schwartzburgensis, Nassoviensis in Hadamar & Dillenburg Auerpergensis, Picolomienensis, Lichtensteinensis Dietrichsteinensis &c.

Inter principes sæculares etiam recensendi sunt Comites Palatini sive Phalzgravii olim sic dicti à palatio & grave, quod vocabulum antiquis iudicem denotat, erant enim iudices palatii Solisbacenses, Birkfeldenses &c. Landgravius sic appellati, quia erant Provinciarum præfecti & iudices, hodie Principes Imperii, uti sunt Hassiæ, Thuringiæ, Alsatix, Leuchtenbergæ.

Marchiones sive Marggravius, inde sic dicti, quia essent limitum custodes & iudices nunc principes imperii, ut Brandenburgensis, Badensis, Misnensis, Moraviensis. Burggravius sic appellati, quia fuerunt Castrorum præfecti & iudices, modo Comites ab Imperatoribus de castris ritè investiti, ut Norimbergensis.
Comi-

Comites principes ab imperatoribus de Comitatu sub dignitate principali investiti, ut Tyrolenses Monpelgardenses.

Comites imperii simpliciter tales, qui de comitatu in vestiti & inspecto Comitiorum usu dividuntur in Franconicos, Wetteravicos, Suevicos & Westphalicos. HERMES in *fast. Jur. publ. Cap. ult. n. 69.* Quomodo factum sit, quod saecularium principum ditiones factae sint hereditariae, hujus originem hanc esse refert MYLERVS ab EHRENBACH, quod devictis à Carolo magno Hunnis, Saxonibus, aliisque imperii hostibus eorum ditiones in formam provinciae redactae, & Imperator ex numero veteranorum milicium ob bene merita quosdam Duces, quosdam Marchiones, quosdam Palatii Comites, & Burggravios, plerosque vero Comites in certis districtibus ordinaverit, ut velut iudices & provinciarum Rectores ditionibus praessent, & sic progrediente tempore, cum filii plerumque patribus surrogarentur, factum esse constet, ut provincias sibi creditas ex voluntate Imperatorum in patrimonio numerare, & jure hereditario ad posteros transmittere ceperint, id quod potissimum sub Conrado I. & Ottonibus contigisse recenset *diß. MYLERVS ab EHRENBACH in Orchelog. C. 6. C. 9. n. 1. Et de princ. Et stat. Imp. Cap. 9. n. 20.*

An status saeculares & Ecclesiastici circa suffragia in Comitibus ferenda pari prerogativa gaudeant? negativam sustineo, nam Principes Ecclesiastici & Praelati principali dignitate fulgentes, item Principes & Comites principum Characterem insigniti, sicut Electores
in

In suo Collegio viritim, Prælati vero & Comites simplices curiatim suffragia proferunt; ita ut Rhenanis prælatis & Suevicis hodie duo, dictis autem Comitibus Franconicis, Suevicis, Wetteravicis & Westphalicis jus quator ferendi suffragia competat, HERMES in *fascil. jur. publ. c. ult. n. 69.* quibus etiam accedunt Abbatissæ, quæ per legatos votum suum in Comitibus dicunt & recensentur ab HORN. in *Jur. publ. tit. 40. §. 2.*

Thesis VIII.

Civitates imperiales quod attinet, sunt tales immediate, quæ præter Cæsarem non agnoscunt superiorem earum originem Henrico IV. attribuunt publicitæ ob earum fidelitatem, cum Consensu statuum imperii. VITR. in *instr. lib. 1. tit. 18. n. 9.* habent votum & sessionem in Comitibus instar aliorum Statuum per *Instr. Pacis art. 8. §. 4.* in duo hæc scamna scilicet Rhenanum & Suevicum dividuntur & non nisi duo vota efficiunt. VITRIAR. in *instr. jur. publ. lib. 4. tit. 1. n. 66.*

Quænam ad scamnum Rhenanum & quæ ad Suevicum pertineant, enarrat author der Grundveste. *part. 2. Cap. 6. in princ.*

Civitas Argentinensis, quæ quondam ad scamnum Rhenanum pertinuit, pace Ryswicensi art. 16. in matricula imperii expuncta, & cum omnibus, quæ in sinistra parte Rheni ad hanc urbem spectabant, in Regem Galliæ translata est, successu temporis plures civitates diuturnâ præscriptione à regimine dominorum territorialium, quibus alias suberant, sese liberarunt. MYLER. in *Archolo Cap. 19. per tot.*

The-

Thesis IX.

Super est de non Statibus imperii vel immediatis vel mediatis aliquid differere, illi enim sunt, qui immediatè Cæsari & imperio subjecti, nec tamen Votum & Sessioem in Comitibus habent, uti sunt Dux Mediolanensis, Sabaudia, Florentia, Placentia, Mantua, Parma, Mutina, Regia, &c. SCHWEDER. *in introd. in jus publ. part. gener. Cap. 4. n. 43. & seqq.* Item nonnulli Commendatores Ordinis teutonici. *dict. SCHWED. par. spec. sect. 2. C. 18. in pr.*

Item Nobiles immediati Franconici Rhenani & Suevici; Circa quos controversia est, an gaudeant superioritate territoriali, quod Negat BESOLD *in thes. pract. verbo freye Reichs-Ritterschaft. VIR. in instr. jur. publ. lib. 3. tit. 15. n. 11.* affirmat cum multis aliis MYLER. ab EHRENB. *de princ. & stat. imp. Cap. 36. n. 12.* ambiguum relinquo, licet negantium opinio præpaleat.

Thesis X.

Non Status mediati dicuntur, qui non immediatè, sed mediante aliquo Domino territoriali Imperatori & Imperio subsunt, quorum aliqui Eminentiores, ut nonnulli principes scilicet Thessalinenses, Lignicenses &c. in Silesia. Multi Comites & Barones in Austria, Bavaria, Hassia, Saxonia, Westphalia &c. dein omnes fere Nobiles in Germania, qui licet immediatè Imperatori non subsunt, sua tamen privilegia ad splendorem & dignitatem pertinentia habent, ut à reliquis minorum gentium hominibus in Republ. statim dignosci possint. Quo pertinet jus utendi insignibus, quæ il-

D

lis

lis Imperator contulit, quorum Concessio reservatis Cæsareis annumeratur; Jus ludos Equestres frequentandi, & licet hodie tale Exercitium quiescat, super est tamen jus frequentandi Conventiones familiarum equestrium, ad quas nemo, nisi quis antiquæ nobilitatis sit, admitti solet; earum prærogativam auget jus ad Capitula & ad præbendas Cathedralis, item ad Ordinem equestrem Teutonicum, in quem nemo recipitur, nisi Nobilis Germanus, qui sics sedecim natales legitime docere possit, habent etiam jus ad præcipuas dignitates & ad majora officia in qualibet provincia, sicut etiam possident jure hereditario supremas quasdam dignitates aulicas. Nempe Marechallatum, Dapiferatum &c. item sunt ordines provinciæ vulgo status patriæ, quibus cum res maximè arduæ & ad salutem reipubl. pertinentes sunt tractandæ, & desuper annuè ad Comitiam provincialia convocantur.

Si fiant possessores domorum in Civitatibus, non possunt cogi ut juramenta Civium aut onera personalia Civium præstent.

Possident etiam multa privilegia realia, quod eorum bona & prædia gentilia & avita sint immunia à contributionibus & collectis publicis, item à metaris, eorum res à vectigalibus, gabellicis & accisiis liberæ adeo ut, qui illas obnoxias afferit. Hujus probationem præstare teneatur.

Coheret eorum castris & domiciliis plerumque jurisdictioni, si non omnimoda & criminalis saltem Civilis, jus exigendi & exequendi operas & præstationes ab eorum subditis & hominibus propriis.

Con-

Connexum est cum eorum domiciliis jus venationis, piscationis, patronatus &c. habent facultatem ex struendi molendina, domos braxatorias, capunias, & tabernas, quatenus hæc jura possessa & præscripta aut alias à Principe concessa sunt.

Thesis XI.

Alii inferioris ordinis ut Patricii Norinbergenses, Augustani, Ulmenfes, Francofurtenses. Item Civitates reliquæ municipales & in iis degentes Cives, qui sunt vel literati vel illiterati, & hi rursus vel artifices vel opifices, aut mercenarii.

CAPVT QVARTVM.

DE STATV HOMINVM RESPECTV IV-
RIS ECCLESIASTICI.

Thesis I.

Status Ecclesiasticus nihil aliud significat, quam Ordinem Ecclesiasticum, qui sumitur pro collectione omnium fidelium toto orbe imperiorum Romano Pontifici adhærentium, & ideo in Romana Ecclesia est vera Monarchia, eo quod suprema imperandi potestas soli summo pontifici commissa juxta legem fundamentalem

Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; item pascere oves meas, pascere Agnos meos.

Unde etiam summus Princeps Ecclesiasticus saluatur. P. KÖNIG *de Const.* §. 5. n. 5. ANDLER. *Jurisprud.* l. 1. tit. 5. p. 1. n. 19. Alio nomine appellatur Papa, quod

quod à græco deductum, patrem significans, quod ab initio omnibus presbyteris, postea solum Episcopis, & tandem soli Pontifici, quâ summo Ecclesiæ Principi & Universali patri tributum esse refert D. BESSEL. *in dissert. ad jus publ. Rom. Eccl. dissert. 1. de dign. pont. §. 2. n. 6.*

Qui est verus Petri successor in primatu, prout ex continua successione & serie pontificum desumitur, & est supra Concilium, quia est Caput Ecclesiæ, quod semper præ est membris & illis non subditur, est etiam infallibilis, quando loquitur de Cathedra ut pastor universalis definiens ad aliquid tenendum vel credendum.

Habet præcedentiam præ quovis principe sæculari, quia fungitur digniori officio, quam Imperator, cum hic vices hominis, ille Dei agat, & Imperatores ac Reges dilectos filios nominet, cum etiam quoad jurisdictionem spiritualem sit supra eos. Tribuitur ipsi titulus sanctitatis, non quoad personam, sed quoad officium, quod est sanctum. Habet merum imperium Ecclesiasticum, sive potestatem spiritualis gladii, scilicet censurandi, suspendendi, interdicens & excommunicandi, quin & pœnis quibusdam temporalibus delinquentes in ordine ad finem spiritualem percellendi, *id. P. KÖNIG ad tit. de offic. jud. deleg. n. 23.*

Nomen Censuræ à Romanis Censoribus derivatur, qui corrigendis moribus præerant, & ideo à jure Canonico recepta pro pœna spiritali ad significandam correctionem delinquentis, dico delinquentis & contumacis, eo quod debeat esse delictum opere externo demon-

demonstratum grave, sive commissum peccatum mortale, ad cujus cognitionem censurandus prius legitime citari eique justa defensio jure naturæ omnibus concessa indulgeri debet, an ita peccaverit, ut judicari possit, censuram incurrisse, secus, si fiat, declaratio erit invalida & irrita. *C. 48. de sent. ex comm. c. 5. c. 13. eod. in 6.*

Thesis II.

Post summum pontificem supremam in Ecclesia obtinent dignitatem Cardinales velut Cardines & præcipui Clerici, cum inserviant sedi Apostolicæ quæ velut cardo & axis est aliarum Ecclesiarum *C. sacrosancta dist. 22.* ideo prima post pontificatum dignitas est Cardinalatus; Cardinalis autem est persona Ecclesiastica, cui comperit jus eligendi pontificem, numerus Cardinalium à SIXTO V. ad 72. ordinatus, eoquod totidem fuerint Discipuli Christi Domini, quorum Collegium in tres Classes, nempe Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum dividitur, creantur à solo Pontifice, prætendunt præ omnibus Principibus præcedentiam & statim post Reges locum desiderant, quod ipsis negant Principes Electores imperii.

Thesis III.

Post Cardinales sequuntur patriarchæ prout colligitur *ex C. 14. X. de Elect.* sunt alii principales, ut Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, alii minus principales sive Patriarchæ minores, inter quos & Primates non est diversitas. *vid. ANDLER de statu hom. & jur. person. lib. 1. tit. V. n. 26. seqq.*

Titulum primatis Germaniæ olim sibi vindicavit Archi-Episcopus Magdeburgensis, qui nunc translatus in Archi-Episcopum Salisburgensem.

Thesis IV.

Patriarchas & primates excipiunt Archi-Episcopi, archos enim græce significat primus, quasi sint primi Episcoporum, qui alio nomine etiam vocantur metropolitani, à multitudine Civitatum & Dioecesium, quas sub se habent. *CAN. clericos 1. §. ordo Episc. dist. 21.* habent jurisdictionem ordinariam in Episcopos provinciae, cui præsent; habent jus consecrandi Episcopos suffraganeos. *CAN. 4. §. seq. dist. 64. Cap. suffraganeis 11. X. de Ele&.* accipiunt talem potestatem per susceptionem pallii Archi-Episcopalis quod intra tres menses tenentur petere, ne careant potestate.

Thesis V.

In Hierarchia Ecclesiastica nunc sequuntur Episcopi, qui sunt majores tam ordine, quàm jurisdictione presbyteris *Luc. 6. §. 10.* licet in primitiva Ecclesia presbyteri Episcoporum officio functi. An hi potestatem suam immediatè à Christo Domino, an verò à Romano pontifice accipiant? prius affirmant alii, secundum defendunt alii. Ego amplector primum, quatenus hoc officium spirituale à Christo institutum in genere, quatenus autem in particulari huic vel illi subiecto confertur respectu horum vel illorum subditorum eatenus dependet à Romano Pontifice quà Vicario Christi, à quo tota jurisdictio derivatur in omnes Ecclesiæ potestates, quod attinet Episcopos titulares five

sive nominales, illi nec jurisdictionem nec subditos habent, nisi in actu primo & potentia; sunt tamen quo ad potestatem ordinis æquales actualibus Episcopis, quo ad potestatem jurisdictionis autem nullam habent.

Quænam dicatur Lex dioecesana, & quænam Lex jurisdictionis, item quænam pertineant ad illam & quænam ad hanc? hic disquirere superfedeo & remitto lectorem ad GRENEK. *Exam. jur. can. tit. de Major. & obedient. q. 27. seq. pag. mibi 159.*

Thesis VI.

Post Episcopos in ordine progredior ad Abbates, qui etiam habent dignitatem Excellentiae, & jurisdictionem spiritualem ordinariam, in religiosos ordinis, vi muneris sui.

An autem hi habeant prærogativam & præcedentiam ante Prælatum Cathedralis Ecclesiae, nempe Præpositum, de jure communi neque determinatum invenio. Præpositura autem major dignitas, quam Abbatis mihi videtur, & si desuper consuetudo cujusque loci aut provinciae attendenda sit, memini, quod in patria mea Præpositus Cathedralis præcedat Abbatem & hoc conforme judico concordatis Germaniae *s. de cæteris*, quia Præpositura est prima & major post Episcopalem sive pontificalem, dignitas, quæ à sanctâ sede confirmatur & Archidiaconalem jurisdictionem annexam habet, & propter præminentiam Decanum & Canonicos reliquosque clericos in choro & in publicis processionibus præcedit.

Th.

Thesis VII.

In ordine sequuntur Canonici Cathedrales juxta senium, qui ita dicuntur à Canonìa, quam habent, Canonìa autem vi nominis includit tantum jus habendi sedem in choro & vocem in Capitulo, absque redditibus vel præbenda. Præbenda verò significat ipsum jus percipiendi redditus Ecclesiasticos, ratione spiritualis officii Ecclesiastica autoritate institutum & personæ Ecclesiasticæ Collatum. *pag. ENGEL. iii. de præb. § dign. n. 1.* Capitulum Cathedrale est corpus quoddam mysticum ex pluribus Canonicis sub communibus legibus sive statutis & juribus ad communem Ecclesiæ utilitatem coadunatum, quod sede vacante succedit in potestatem Episcopi; inter onera Canonico- rum venit obligatio residendi in loco Canonicatus nisi ex causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ legitime absint, quia tunc fictione juris pro residentibus habentur, possunt libere disponere de bonis suis tam patrimonialibus quam Clericalibus etiam superfluis, tam ad causas profanas quam pias, quia sunt absoluti omnium reddituum domini, non obstante *Cap. 8. 9. § 12. de testam.* quia harum legum prohibitio contrariâ consuetudine ferè ubique abrogata. *COVARVV. in c. 7. n. 9. de testam. ZOES. ad decretal. de testam. n. 7. § plures alii.*

Thesis VIII.

Post Ecclesias Cathedrales sequuntur collegiatæ earumque Prælaci & Canonici, dein Parochiales Ecclesiæ earumque Rectores, qui ad curam animarum exercendam intra fines & limites ipsis assignatos ex officio & autoritate Ecclesiastica constituti, ad refectionem

nem

nem Ecclesiæ parochialis tenentur *juxta Conci. Trid. sess. 21. de reform. c. 7.* omnes, qui fructus aliquos ex illa percipiunt; an etiam patronus, qui erexit & dedit esse, & ex inde nihil percipit, respondeo negativè *cum FIRRHING. ad tit. de Eccles. edific. n. 20.* cum alias ipsi beneficium præstitum esset damnosum & cæteros, qui minus ad Ecclesias fundandas se pronos exhibeant, abstereret, & Concil. Trid. de tali patrono, qui fructus ab Ecclesia percipit intelligendum est. Proinde sequuntur priores regularium non Benedicti, Guardiani Rectores, qui habent jurisdictionem ordinariam in suos subditos regulares non autem potestatem concedendi statuta regularia, quia hæc à toto ordine vel præside dependent. *TAMBRINVS tom. 3. de jure abb. disput. 3. quest. 1.*

Thesis IX.

De Abbatissis & Priorissis regularibus, quia non habent neque Ecclesiasticam jurisdictionem, hic differere supersedeo, nam mulieres sunt à civilibus officiis *jure civili l. 1. §. 1. ff. ad SCrum Vellej.* sic etiam à potestate Clavium exclusæ, sed habent tantum potestatem œconomicam & gubernativam, quoad regulam ordinis, pro ut idem de Abbatissis sæcularibus in Canonis-
 fas sæculares, quæ nullam professionem emittunt, sed Ecclesiæ renuntiare & matrimonia adhuc contrahere possunt, quia nullis votis claustralibus obstructæ, quo ad statuta ejusmodi Ecclesiarum Collegiatarum fertio.

Thesis X.

Sequuntur denique reliquæ personæ Ecclesiasticæ,
 E
 cæ,

cæ, quæ habent quatuor principaliora privilegia, nempe *forti*, *Canonis*, *Competentia* & *immunitatis* tam personalis quam realis, circa res & bona Ecclesiastica, ab omni Contributione & onere, à qua tamen immunitate excipitur necessitas communis, si Laicorum facultates non suppetant, accedente scilicet cognitione & approbatione ordinarii. *Cap. 4. Et ibid.* GONZALEZ. n. 14. *Et Cap. 7. de immunit.* quia Clerici sicut ex motivo pietatis pauperibus, ita etiam in casu necessitatis Republicæ indigenti succurrere tenentur. D. SCHMIEB. *tract. de pers. reb. Et jurib. Eccles. part. 3. c. 4. sect. 3. §. 3.*

CAPVT QVINTVM
DE STATV HOMINVM RESPECTV
JVRIS FEVDALIS.

Thesis Unica.

Super est nunc de Personis feuda conferentibus & acquiritibus pro Coronide Dissertationis aliquid annectere.

Conferunt feuda, qui alienandi potestatem habent, & vocantur *Domini directi*.

Competit autem hæc potestas Dominis rerum ad singulos spectantium & certa ratione etiam iis, qui præfunt bonis nempe Imperii alicujus Ecclesiæ, vel alterius Universitatis.

Qui verò acquirunt feuda, vocantur *Vasalli* & unde hoc nomen derivetur, videatur STRVV. *in synag. jur. feud. c. 5. §. 12.* quorum alii capitanei, alii valvasores & hi iterum vel Majores, vel minores, vel minimi dicuntur.

cun-

cuntur STRYCK. *Exam. jur. feud. c. 6. g. 3. seqq.* quilibet Dominus sine differentiâ sexûs conditionis & dignitatis, sive masculus sive fœmina, sive Clericus, sive Laicus, sive in dignitate constitutus, sive plebejus fuerit, in rebus suis feudum alteri concedere potest, ita tamen ut Uxor in provinciis ubi communio bonorum inter conjuges viget, sicut in Dicecesi Paderbornensi, mariti qua directoris & condomini consensus simul adhibeatur, item ut Clericus in bonis propriis hoc faciat, constituens autem feudum liberam bonorum administrationem habere debet, & licet feuda plerumque à potentioribus ac dignioribus dominis recognosci soleant, plebejo tamen eadem potestas sicut alienandi, ita & in feudum dandi facultas reservato Dominio directo competit; qui inde æque consequitur jurisdictionem feudalem, ac alius dignior, excipiuntur tamen impuberes, minores, furiosi, menti capti, prodigi, qui nequidem tutoris autoritate interveniente res suas sine Decreto judicis in feudum concedere possunt.

Cæterum bona & terras ad Imperium immediate pertinentes, v. g. Ducatus Comitatus si aperiantur Imperator non nisi cum Electorum consensu aliis in feudum concedere potest per Capitulationem JOSEPHI *Art. 26.* & CAROLI VI. *Art. XI.* cum ejusmodi ducatus imperio tamdiu sint reservandi, usque dum vires receperit, sub qua dispositione tamen non continentur illi septem in AVREA BVLLA expressi Electoratus, etenim si unus ex his vacaverit statim alii conferendus est, ne numerus Electorum minuatur. STRYCK.

Exam. jur. feud. Cap. V. q. 10. An vero Imperator bona subditorum auferre & alteri in feudum dare possit? Negandum esse puto. Duces, Principes, & Comites Imperii in bonis Imperii, quibus præsent, in feudum concessis possunt feuda particularia etiam absque consensu Imperatoris constituere, & feuda ipsis aperta liberè aliis conferre. ROSENTHAL. *L. 9. Conclus. 44. n. 10.* Accipere & acquirere possunt feuda omnes, quibus non est interdictum rerum commercium; etiam impubes & minor, qui tamen, ut Domino feudi obligetur ad servitia, Tutoris autoritate opus habet. Prodigus verò in acquirendo feudo non opus habet Curatore. *Arg. L. 5. §. 1. ff. de acqu. v. amit. hered.* de quibus latius HORN. ad *Jus feud. C. 5. §. 54. seq.* LVDW. ad *Jus feud. pag. 122. & seqq.* Denique an feudum filiofamilias rectè dari possit, est extra controversiam,

sed an fructus ad patrem pertineant, ego dissentio, eoquod ad peculium castrense vel quasi observitia à Vasallo præstanda referendum. Sin autem à privato & non à Principe, neque intuitu militiae armatae aut togatae filio feudum conferatur, ad ordinarium referunt HORN. *dict. cap. V. §. 32.* TITIVS in *jure priv. l. XI. C. 3. §. 11.* item in teutschen Lehn-Rechten *C. 6. §. 65.* SCHNEIDEW. in *us. feud. p. 6. C. 4. n. 7.* sed quia instituti ratio ulterius progredi disuadet, hæc cedant ad majorem Dei gloriam, qui est noster ultimus

F I N I S.

WRE-

WREDE certanti sacra turba plaudat,
Facta decantet, modulando clangat,
In laudem chelin variando stringat
Tempora cingat.

Fama sit nullis viciata navis
Insecuturis celebretur avis
Sortis invitæ facies hebescat
Laurea crescat.

Ita

*Dno Doctorando ac Domestico, in sui
memoriam ponere voluit*

JO. CHRISTOPHORVS SPITZ,

J. U. D. Juridicæ Facultatis Judiciique
Provincialis Assessor ac Professor
publ.

Dum WILHELME petis supremos juris honores,
En musæ plaudunt candida quæque vovent
Ipsa Themis nitida velat tibi tempora myrtho
Sic promovent laudes orbis & astra tuas.

*Hæc paucis Amicitiam suam testari
voluit*

P. WINCOP, J. U. C.
Opponens.

Sird durch den schwachen Kiel mir, Freund, ein Heim ge
lingen,
So muß er Freundschaft voll von Deinem Ruhme singen,
E 3

Da

Da Du den Doctor-Luth durch Deinen Fleiß erreichst,
Und der gelehrten Welt durch Deine Streit-Schrift zeigst:
Wie Deine Wissenschaft den Stoff in Ordnung findet,
Und der Gedanken Reih mit Gründlichkeit verbindet;
Wie Dein Verstand geschärft der Gründe Kraft durchschauet,
Worauf Iulianus der Rechte Folgen baut.
Seh Deine Wege fort, zu Deines Hauses Ehre,
Die Du betreten hast, wend an die Weisheits-Lehre,
So Themis Dir gelehrt von zarter Jugend an,
Damit der blasse Neid mit mir Dir sagen kan,
Du seyst des Glückes wehr, das einst der Zukunft Zeiten
Nach Dein und meinem Wunsch Dir günstig zubereiten.

Hiermit befehlet sich zum beständigen
Andenken

J. HARTONG, J. U. C.
Erfürtensis.

Das pflegt man warlich viel und eine Kunst zu nennen,
Der Leute ihren Stand, ihr Recht und Wohl zu kennen,
Des Vatters Ehr und Ruhm durch sich noch mehr erheben,
Und selbst nach solchem Lob sich fleißig zu bestreben.
Die Kunst besigest Du, verknüpft mit schönen Sitten,
Das zeigt uns Deine Bahn, die Du bisher beschritten.
Es zeigt uns Dein Verstand, Geschicklichkeit und Fleiß,
Dein Dir erworbnen Ruhm, und der erlangte Preis,
Womit Gerana Dich anheut zum Lohne zieret,
Und rühmlich in die Zahl gelehrter Leute führet.
Zu dieser Ehr, mein Freund, leg ich den Glückwunsch bey,
Den mich zu schreiben heißt die feste Freundschafts-Frey.
Ich wünsch, GOTT segne Dein Thun und Dein Lassen,
Er lasse Dich bald das, was Du verlangst, umfassen.

Er

Er laße Dich im späten Alter erst erkalten,
So kank Du so beglückt, wie geschickt, Dein Amt verwalten,
Kan ich nicht diesen Wunsch mit Gold in Marmor äßen,
So will ich ihm doch mein Herz zum Grunde sehen,
Und noch zuletzt zur Nachricht dieses schreiben,
Daß ich Dein treuer Freund beständig werd. verbleiben.

CARL DIETHRICH, J. C.
Erfurtenfis.

Felicitantur vota silentio
Leges Lycurgi, quo Lacedæmonum
Et Romulæi virga Regis
Et Themidos rediviva surgit.

Cohors sepultæ, scilicet evocas
Tu perrinaci WREDE scientiæ:
Dum vel Cleanthæâ Lucernâ
Exsuperas tenebrofa noctis;

Vel solem adæquas Ingenii face.
Sic perge porrò pulchra Laboribus
Exempla describe; insequemur
Fratris iter, studiumque famæ.

*Ita aggratulabundus accinit Domino de-
spondenti amicis observantissimus*

S. J. WINCOPP,
Jur. Cand.

Fama celer! Sublimi ad sidera vecta volatu
Gerana nostram festivas tolle per auras

Humida

Humida quæ terras circumfluit Amphitrite
Quæ librata suo consistit pondere tellus:
Nam digna est cunctis celebretur laudibus, æqua
Dignaque eum meritis latiget præmia honoris
Quodque legit semper raros sapientia fructus.
Teque Amicæ! hodie lauro hæc Antiqua coronet
Supremâ? Grator: sic est labor ipse meretur,
Perge! tuum præcella caput modo gloria lauri
Ambiet, hæc meritum remanent te digna laboris
Præmia, quæ cunctis decernit magnus Apollo
Qui Musis operam non impare laude locarunt.

J. F. W. H.

Es WILHELM ANTON WREDE, nunc addito
DOCTOR

Extas completus, per plurima tempora vixe.

*Ita prænobilitate Consultissimo D. Doctore
rando pro sui recommendatione ad-
dere voluit*

JAC. AND. GVNT, SPITZ;
R. S.



ULB Halle
005 355 710

3







1752,4

5 M

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE
STATV HOMINVM

QVAM
SVB PRAESIDIO ALTISSIMI
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO
VIRO PRAENOBILI AC CONSVLTISSIMO
**DN. HIERONYMO FRIDERICO
SCHORCH JCTO**

S. PALATII CAESAREI COMITE, JURIDICAE FACVLTATIS ASSESSORE ET PRO
TEMPORE DECANO AC JVR. PVBL. PROFESSORE ORDINARIO, NEC
NON CIVITATIS ERFORDIENSIS CONSULE SE-
NIORÉ MERITISSIMO,

EX DECRETO
MAGNIFICI AC AMPLISSIMI JCTORVM ORDINIS
IN PERANTIQA VNIVERSITATE HIERANA
PRO OBTINENDIS SVMMIS IN VTROQVE JVRE HONO-
RIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
IN AVDITORIO JCTORVM MAIORI
DIE XII. OCTOBRIS MDCCLII.

HORIS CONSUVETIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVDMITTIT
AVTHOR ET RESPONDENS
WILHELM. ANTON. WREDE
PADERBORNENSIS.

ERFORDIAE
Typis IOANNIS CHRISTOPHORI HERINGII
ACAD. TYPOGR.

